

imprudens mariti. Maior est enim iniuria in authorem, qui custos thalami est, spretum & non consideratum. Hæc Ambrosius. Summa: inigne habemus hic documentum quam prouide seruos suos curet Dominus, qui contemti aduenæ patrociniū suscepit contra potentissimum regem. Sciamus igitur, vtcunq; paucitas & infirmitas nostra contemta sit coram mundo: nos tamen Dei præsidio tegi, ne potentiorum libidine aut violentia nobis noceat.

Queritur hic, an iuste Pharaoni sit inflicta pœna, cum neque insidiari toro Abrami neque per vim vxorem ei eripere in animo habuerit? aut si peccauit Pharaon, cur propter eius peccatum alii domestici fuerint afflicti: sicut dicitur: *Percussit eum percussioibus magnis, & domum eius, causa Sarai vxoris Abram?* Ad regem quod attinet culpa minime vacauit. Et si enim excuset se, quod per errorem ad se adduci Saram iusserit, non facturus, si vxorem alterius eam sciuisset: tamen debuerat prius de re tota diligenter inquirere, neque rem tantam adeo præcipitare. Probabile est ergo, eum collaudari audita fœminæ forma mox cœca in eam exarsisse libidine: quã etiam expleisset nisi diuinitus prohibitus fuisset. Minime igitur coram Deo fuit innocens. Nec innocentes fuerunt libidinis eius ministri aulici, qui Saram ei adduxerant & collaudatione formæ sponte sua propensum ad libidinem vehementius inflammauerant. Quid mirum ergo eas pœnæ regis implicari, qui peccati eius focii & adiutores fuerant?

18. **VOCAVITQUE PHARAO ABRAM:** Effecta plagæ in rege: qui agnita mali causa Abramum acriter obiurgat de fraude sibi facta: nihil tamen durius in eum statuit, Saram vxorem ei restituit, & incolumes fide publica ex regno dimittit. Quis hic rursus Dei paternam curam de suis non agnoscat?

A Neq; enim hæc regis mansuetudini accepta ferri possunt: Sed sunt Dei miracula. Per se plaga Saræ causa Regi inflicta exasperare animum eius poterat, vt in vindictâ aduersus ipsam & maritum tanquam maleficos exardesceret. Quod v. omnia secus eueniunt, ex accidenti est factum, h. e. occulta directione Dei ad hanc *imprudens* regis animum flectentis, qui preces & gemitus sancti patris & cõiugis Saræ, quæ hæctenus sub custodia seruabatur, exaudiuerat. Agnosceda est igitur Dei singularis præsentia in aduersitatibus piorum inuocantium eum. Auertit, & in bonum conuertit mala, in quorum necessitatem ipsi se præpostera sua prudentia coniecerunt.

B *Queritur*, vnde Pharaon cognouerit, Saram esse coniugem Abrami: & plagã à Deo Saræ causa sibi infligi? Hebræi fingunt eum ex aruspici. cognouisse. Vide *Eusebium* li. 9. c. vlt. de præpar. Euang. Et *Iosephum* lib. 1. Antiq. ca. 16. Rectius Chrysostronus, Dei reuelatione de re tota edoctum fuisse: vt infra Abimelechũ Deus in somnio monuisse legitur. Nonnulli ex Sara putant regem didicisse. Sed dubiũ non est singulari Dei prouidentia & cura consilium periculosissimum Abrami hoc modo directum fuisse ad optatam catastrophem. Deus igitur arcano instinctu *primum* suggessit regi, vt causam plagæ intelligeret: cohibuit *deinde* & flexit voluntatem ne quid durius statueret. Flexit quoque vt vxorem Abramo intactam restitueret, ac tuto dimitteret. Libera voluntate rex ita rem gessit: Sed Deo voluntatem eius sic gubernante ac determinante, vt hoc & non aliud vellet, nec velle posset. Est *n. cor regis in manu Domini*, & tanquã riuos aquarum quocunq; vult, inclinat illud. Exempla hæc inscitiam redarguunt Sophistarum vel certe malitiam, qui libertatem voluntatis humanæ cum diuina determinatione ad vnum stare non posse contendunt. Hæc generatim

Gen. 12. 6.

Prov. 22. 3.